

nus induit rationem beatitudinis et felicitatis ultimo perficientis, et satiantis rationalem creaturam, hoc ipso quod ultimus est, sic enim nihil ultra relinquit desiderandum. In hac autem beatitudine considerantur, scilicet ipsa beatitudo in se, status beatitudinis; seu ea, quæ ad beatitudinem exiguntur, et assequibilitas, atque inamissibilitas ejus. Primum, scilicet beatitudinem ipsam considerat Divus Thomas et objective, id est, ex parte rei in qua invenitur, et formaliter, id est, ex parte actus, quo apprehenditur, qui est finis qui, et finis quo. Nam finis qui, dicitur ipsa res, quæ est finis. Finis quo dicitur ipsa possessio, seu attingentia finis. Igitur beatitudinem ipsam, seu finem ultimum qui considerat D. Thomas quæstione II, tum negative ostendendo in quo non consistat, scilicet in nulla creatura, tum positive scilicet in ipso Deo, qui cum sit bonum universalissimum solus potest implere universalem capacitatem intellectus et voluntatis. Beatitudinem autem formalem, seu finem ultimum quo, considerat Divus Thomas quæstione III, ostendendo quomodo consistat in operatione partis intellectivæ non voluntatis, sed intellectus præsertim speculativi, eo quod prius debet res aliqua apprehendi, et teneri quam voluntas illa frui, apprehensio autem, et tentio Dei per intellectum fit, et in illa operatione consistit attingentia finis ultimi.

De beatitudine autem quantum ad statum agit quæstione IV, ostendens quæ debeant concurrere ad beatitudinem, ex parte quidem intellectus visio seu comprehensio, et possessio Dei; ex parte voluntatis summa delectatio, et gaudium, et indeficiens rectitudo; ex parte corporis quod reddatur immortale, et omnino perfectum et ornatum dotibus gloriæ; ex parte bonorum exteriorum quod

nullo indigeat; ex parte amicorum quod habeat convenientem societatem. Denique, ex assequibilitate hujus beatitudinis, et in amissibilitate ejus semel assecutæ, et quomodo non possit in hac vita consequi, nec per aliquam actionem naturalem, vel alicujus rei creatæ, sed solius Dei supernaturaliter elevantis ad se clare videndum agit quæstione V.

Explicata ratione finis, et in quantum humanum est, et in quantum ultimus et beatificans, restat agere de ipsis actibus moralibus quibus homo pervenit ad talem finem, vel deviat ab illo, quod est secundum principale in hac parte tractandum. Sed quia operationes morales ad exactam sui notitiam postulant, non solum tractari in communi, sed etiam in speciali juxta particulares eorum materias, ideo tractat de illis in genere, et in communi in hac prima secundæ, in speciali vero in secunda secundo.

Ad tractandum vero de illis in communi facit D. Thomas duos tractatus principales. Primo de ipsis actibus humanis secundum se. Secundo de principiis eorum. Et quia principia alicujus rei disquiruntur per ejus causas, quæ sunt finalis et efficiens, materialis et formalis, de principio finali actuum humanorum in communi jam tractatum est in quinque præcedentibus quæstionibus. De materia vero circa quam versantur tales actus, et de forma, hoc est, de specificativo eorum, melius agatur cum de unaquaque specie actuum humanorum in singulari agatur in secunda secundæ. De principio autem efficiente, quod est ipsa anima, et potentiæ ejus tractatum est in prima parte agendo de anima. Solum ergo restat in hac prima secundæ, agere de principiis moralibus, quæ superadduntur potentiis ad actus humanos, sive intrinsicis, ut habitus virtutum et vitiorum, sive

extrinsecis, seu ab exteriori principio provenientibus, ut lex, et gratia.

PRIMUS TRACTATUS DE ACTIBUS HUMANIS.

In actibus humanis considerandis consumit D. Thomas quadraginta tres quæstiones a quæstione VI usque ad XLIX. Sunt autem ordines actuum humanorum, sed moralium, quidam qui sunt morales, et humani ex sua propria ratione, eo quod sunt actus potentiarum, rationalium, et spiritualium, quibus proprium est rationali, et humano modo tendere in sua objecta. Et de istis agit quæstione VI usque ad XXII. Alii autem actus sunt, qui solum sunt morales participative ex motione priorum, de se autem sunt communes hominibus, et brutis sicut et ipsæ potentiæ a quibus procedunt, scilicet actus appetitus sensitivi, qui vocantur passiones, isti enim etiam in brutis inveniuntur. Sed quia homo per rationem passiones suas gubernat juxta illud Genes. IV: *Sub te erit appetitus tuus, et tu dominaberis illius*, etiam istæ passiones moralitatem participant, in quantum regulantur, et moventur a ratione, et ideo agit de illis a quæstione XXII usque ad XLIX.

Circa actus, qui eliciuntur a potentiis rationalibus, relictis actibus mere speculativis in cognitione, de quibus sufficienter actum est in I p. quæstione XLVIII, solum in præsententi agendum est de actibus moralibus, quibus ad finem tenditur, et ad media. Et isti actus necessario debent esse voluntarii, quia voluntas est, ad quam pertinet finis, et cæteras potentias movet ad fines suos. Quia vero ipsa voluntas non potest sibi ipsi esse regula, qua di-

bitum, cum sæpissime voluntas derigatur, et recte tendat ad finem deficit si nihil aliud appetit, quam quod sibi libet, ita quod solum sit pro ratione voluntas, ideo oportet actum humanum pro ea parte, qua tendit ad finem ut appetibilem esse voluntarium, et pro ea parte qua tendit ad finem ut rectum, et debitum, esse regulatum. Ratio autem est, quæ regulat hominem quia proprium hominis est vivere secundum rationem. Igitur ad explicandum actus humanos, et morales primo, considerat D. Thomas id quod pertinet ad rationem voluntarii, quod quasi materialiter se tenet in actibus humanis, et hoc a quæstione VI usque ad XVIII. Deinde, considerat id quod regulationis est, quod formaliter spectat ad moralitatem, et hoc quæstione XVIII, ubi agitur de bonitate, et malitia, quæ ex regulatione, aut deviatione a regula proveniunt.

Circa rationem voluntarii considerat primo D. Thomas quid fit ratio voluntarii. Secundo, quomodo distinguatur per varios actus voluntarios. Quantum ad rationem voluntarii consideratur, et ipsa substantia voluntarii, et ejus accidentia. Substantia quidem ostendendo in quo consistat voluntarium, scilicet ejus principium est intra cum cognitione finis, et consequenter de his, quæ impediunt talem rationem voluntarii, vel quia principium eorum est extra, vel quia tollit cognitionem ut violentia, metus, concupiscentia, ignorantia, etc. Et de hoc agit quæstione VI. De accidentibus autem voluntarii, quæ sunt circumstantiæ, et de earum numero agit quæstione VII.

Secundo, explicat varietatem, et distinctionem actuum voluntatis. In quo prima distinctio sumi potest penes actus elicitos, et imperatos. Imperatus semper supponit aliquem

actum priorem, a quo imperetur, et ideo non potest immediate esse circa finem sed circa ordinata ad finem. Elicitus autem circa utrumque esse potest. Et ideo potest secundo sumi distinctio actuum voluntatis, quod quidam sunt circa finem, alii circa media. Circa finem invenitur triplex actus, duo qui respiciunt finem absolute, scilicet voluntas, seu volitio simplex, et fruitio, qua quiescit, seu complacet voluntas in fine volito. Tertius respicit finem comparative ad media, et est intentio. De primo actu agit quæstione viii, nec enim agit de voluntate quæ est potentia, sed quæ est actus, seu simplex volitio. Antequam vero agat de secundo actu, qui est fruitio interponit D. Thomas duas quæstiones de motivo voluntatis, quod ideo fecit sanctus doctor, quia simplex volitio est primus actus voluntatis, ad quem non potest moveri voluntas ex aliquo prius volito, si quidem ipse est primus omnium, et ideo origo, et motio istius primi actus remanet obscura, et latens, cum tamen in aliis actibus motivum, et origo illorum manifeste constet reducendo posteriores, sicut voluntas elegit media, quia intendit finem, qui amat. Ipse vero primus amor non potest ex alio priori actu causari, et ideo specialiter D. Thomas inquit de ejus motivo, seu origine, quia debet esse ab extra, quod aliquo modo videtur contrariari rationi voluntarii. Et ideo quærit duo de isto motivo. Primo, quodnam sit principium movens ad hunc primum actum, tum ex parte objecti propositi, et specificantis actum, tum ex parte moventis ad illum efficienter, quia voluntas in primo actu non potest se ipsam movere effective, cum non supponit priorem actum, in cuius vi reducat potentialitatem suæ virtutis in actum, sed moveri debet ab extrinseco agente, quod so-

lum est Deus, et de hoc principio motivo agit quæstione ix. Secundo vero quærit de modo, quo movetur voluntas, scilicet necessario, vel libere, tum ab ipso objecto, unde sumitur specificatio, tum ab inferiori appetitu, a quo voluntas inclinatur, tum a movente extrinseco, quod est Deus, qui sua universalitate infallibiliter operari potest sine impositione necessitatis, et ablatione libertatis, et de hoc agit quæstione x.

Post hunc actum voluntatis, qui est primus circa finem sequitur de alio actu, qui etiam absolute versatur circa finem, et fruitio non quidem illa fruitio perfecta, quæ est cum assecutione, et possessione reali finis, sed imperfecta, quæ sequitur ad primum amorem, et complacentiam finis, quando solum habetur intentionaliter, et incipit movere ut primum in intentione. Et ideo agit D. Thomas de fruitione immediate post simplicem volitionem finis, et quia licet fruitio perfecta, et consummata sit ultimum in actibus voluntatis, si quidem quiescit omnis motus obtento fine, tamen inchoata illa quies in re amata, quando primo habetur intentionaliter per amorem, sequitur immediate ad primam, et simplicem volitionem. Et ita agit de fruitione quæstione xi.

Tertius actus, quem voluntas habet circa finem non jam absolutus, sed comparativus; postquam enim voluntas aliquid vult, ita ut inhæreat, et complacet in illo, incipit respicere ad assecutionem talis rei, et sic non solum amat, sed etiam intendit, hoc est, intentat assequi rem illam, et movetur ab imperfecta, et intentionali fruitione rei ad perfectam, et consummatam. Et iste actus est intentio, quo non absolute, et nude finem amat, sed etiam dicit respectum ad viam, et

media, quibus ad ipsum perveniri possit. Et de hoc actu ejusque objecto, quod non solum est finis ultimus, sed etiam quilibet alius, agit quæstione xii. Et in istis actibus volitione, et intentione consistunt omnes actus, qui in ordine intentionis versantur circa finem.

Post istos actus incipit habitudo voluntatis ad media, et quæ descendit ex intentione finis, et incipit ordo executionis. Circa media autem movetur voluntas dupliciter. Uno modo ad appetendum illa, et habendum efficaciter in affectu. Alio modo respicit illa ad exequendum, et habendum realiter in effectu. Ad habendum quidem efficaciter in effectu requiritur electio, qua determinat se voluntas efficaciter ad prosequendum aliquod medium determinate. Et quia hic actus est præcipuus inter eos, quibus voluntas respicit media, et antecedit actus executivos, agit de electione quæstione xxiii. Sed sicut ad simplicem volitionem finis requiritur aliquod speciale movens, a quo originetur, ita ad electionem requiritur aliquod motivum, per quod immediate originetur. Et quidem primum motivum, et ratio volendi media est finis intentus, ex illius quippe amore voluntas inclinatur ad acceptanda media, quibus prosequatur illum. Sed non est sufficiens motivum ad determinandum in particulari unum medium præ alio præsertim quando plura occurrunt, nisi fiat collatio, et determinatio de convenientia uniuscujusque medii ad talem finem. Ista autem determinatio debet fieri per consilium, quod includit inquisitionem seu collationem, et iudicium seu determinationem. Iudicium autem in appetendis præcipue datur secundum experientiam, et sensum, quo placet id quod iudicatur, et adhæret illi per complacentiam. Et hæc adhæsiō, seu sensus

pertinet ad voluntatem, quæ se applicat ad complacendum de mediis, sicut fruitio de fine, et vocatur consensus, quia collatione ad finem sentit. Unde ad electionem tamquam motivum præcedit ex parte intellectus consilium, de quo agit quæstione xiv. Et ex parte voluntatis, et complacentiæ consensus, de quo agit quæstione xv. Electio autem addit supra consensum determinationem medii, quod eligit, quia contingit interdum plura media consiliata placere quod pertinet ad consensum, et postea determinari ultimate voluntatem ad unum præ alio, et in hoc perficitur electio.

Post electionem, per quam voluntas movetur ad media, ut habentur in affectu, incipit moveri voluntas ad habendum media in re, et exequendum illa. Et ad hoc sunt duo actus, scilicet usus, et imperium. Ad exequendum enim requiritur in primis directio, qua ordinatur ab intellectu, quid agendum sit, quia executio debet esse rationabilis, et ordinata, et ad hoc deservit imperium, quod intimat quid et quo ordine agendum sit, et præterea requiritur applicatio voluntatis, qua aliæ potentiæ a voluntate non solum ordinate, sed etiam voluntarie suos actus exequantur quatenus subduntur voluntati, et hæc applicatio dicitur usus, quo voluntas utitur aliis potentiis ad exequendum. Agit autem D. Thomas prius de usu, quam de imperio licet quoad exteriora imperium præcedat usum, tum quia usus est actus ipsius voluntatis, imperium vero rationis, ordo autem doctrinæ exigebat ut prius de omnibus actibus voluntatis ageretur: tum quia usus de se universalior actus est, quam imperium, quia aliquis usus præcedit imperium, scilicet ille quo voluntas applicat intellectum ad ea, quæ ante electionem requiruntur, usus vero, qui ap-

plicat potentias executivas sequitur post imperium. Agit ergo de usu quæstione XVI. De imperio vero quæstione XVII.

Et sic in universum duodecim actus numerantur ab apprehensione finis usque ad executionem ejus. Primo, ex parte intellectus est apprehensio finis, seu boni. Secundo, ex parte voluntatis est simplex voluntas circa finem. Tertio, est fruitio imperfecta in fine intentionaliter apprehensio. Quarto, est intentio, qui jam est actus comparativus finis erga media. Et isti actus pertinent ad ordinem intentionis. Deinde, incipit habitudo volendi media. Et quinto, voluntas movet intellectum ad consiliandum, quæ motio est quidam usus ante intellectionem. Sexto, est consilium ex parte intellectus. Septimo, consensus ex parte voluntatis circa media consiliata. Octavo, electio determinativa mediorum. Et hæc pertinent ad ordinem executionis in ipso affectu. Denique, incipit habitudo in via executiva realiter. Et novo, est præceptum seu imperium ad exequendum. Decimo, usus voluntatis applicans alias potentias ad exequendum. Undecimo, executio actuum. Duodecimo, assecutio finis, et perfecta fruitio. Et hæc pertinent ad ordinem executionis in affectu.

Consideratis actibus voluntariis, in quantum voluntarii sunt, et consequenter ut sunt materia regulabilis moraliter, restat considerare illos quantum ad ipsam moralitatem, et ut formaliter regulati sunt, et ordinati secundum rationem; quia enim proprium hominis est vivere secundum rationem oportet, quod voluntas feratur in appetibile regulatum secundum regulas rationis. Et hoc dicitur morale, id est, rationale, seu regulis rationis subjectum, rationis enim proprium est morem imponere, et habere.

Igitur de ipsi formali moralitate secundum quam dicuntur actus boni, vel mali duo tractat D. Thomas. Primo, de ipsa secundum se usque ad quæstionem XXI. Secundo, de proprietatibus ejus quæstione XXI. Quantum ad primum considerat D. Thomas quod moralitas invenitur in actibus proportionato modo ad ipsam voluntatem, quæ fertur in objecta, nam vel tendit, et fertur absolute in objectum, vel ex uno movetur ad aliud, sicut ex fine prius volito tendit ad media, et ille actus movens, et prior dicitur actus interior, actus vero motus, et posterior dicitur exterior, quia extra illum primum erit, et ab illo movetur, quamvis aliquando dicatur actus exterior, non solum quia est extra alium actum in eadem potentia, sed quia pertinet ad aliam potentiam, et est extra potentiam moventem, sicut actus sensibiles dicuntur exteriores respectu actuum spiritualium, a quibus diriguntur. Igitur secundum hoc tria tractat D. Thomas de actibus moralibus. Primo, de ipsa moralitate absolute, et in communi. Secundo, de moralitate actuum interiorum, seu imperantium. Tertio, de moralitate actuum exteriorum.

Quantum ad primum considerat Div. Thomas quibus viis actus participant moralitatem, eisque conveniat. Nam præter bonitatem naturalem, quæ materialiter præsupponitur ad moralem, ipsa bonitas, vel malitia, id est, conformitas plena ad regulam, vel deficiens ab illa, potest se tenere, vel ex parte speciei, vel ex parte individuationis, quia de utroque judicat, et regulat ratio. Principia autem speciei in actionibus sub objecto, et ideo ab objecto per se loquendo sumitur moralitas. Requisite autem ad individuationem sunt circumstantiæ, inter quas præcipua est finis, quæ non est pura

circumstantia, sed etiam causa movens a qua dependet bonitas actus exterioris, seu moti ut a primo movente et ita ratione moventis formalius et actualius se habet finis, quamvis in ratione specificantis formalius se habeat objectum. Sic ergo considerat D. Thomas quod quatuor viis provenit bonitas, et malitia actui. Primo, bonitas naturalis, quæ materialiter præsupponitur ad moralem. Secundo, ex parte objecti sumitur species moralitatis. Tertio, ex parte finis pendet moralitas tamquam ex causa primo movente secundum intentionem. Quarto, ex parte reliquarum circumstantiarum tamquam accidentium moralitatis; quamvis etiam non repugnet quod corruptio unius circumstantiæ redundet in corruptionem speciei transeundo in conditionem objecti. Si autem objectum ex ea parte qua objectum est non determinet aliquam rationem conformitatis, vel deformitatis ad rationem determinate, dicitur moraliter indifferens quantum ad speciem, seu objectum. Et de his agit quæstione XVIII.

Quantum ad secundum considerat D. Thomas moralitatem actuum inferiorum quæ est moralitas actuum qui sunt priores, et movent ad alios; quia voluntas ex fine movetur, tales actus debent habere finem pro objecto, et nomine voluntatis illos comprehendit Div. Thomas, quia volitivum seu voluntas simplex est circa finem. Sed sicut agendo supra de voluntate, seu simplici volitione fuit necessarium agere de eis motivo eo quod est primus actus voluntatis, ita tractando de moralitate actuum interiorum, seu primorum, fuit necessarium agere de principio, seu motivo regulationis, et moralitatis eorum, quia non habent illam participative a priori aliquo actu movente, cum ipsi sint primi, sed a solo objecto eorum qui est finis. Tale

autem objectum sortitur bonitatem moralem per dependentiam a lege regulante, et a Deo legis latore, seu divina voluntate, et a ratione proponente, seu applicante medio dicamine conscientiæ, et ideo necesse fuit agere de conformitate cum conscientia errante, vel non errante, cum divina voluntate, cum lege, etc. Et hoc quæstione XIX.

Quantum ad tertium, scilicet de moralitate actuum exteriorum, id est, eorum qui moventur, et imperantur ex aliis prioribus, considerat D. Thomas quod non solum habent dependentiam a suo proprio objecto, et circumstantiis, sed etiam ab actu priori, et intentione finis a qua imperantur, et moventur, et ideo id quod habent ex proprio objecto quantum ad moralitatem, non ab alio actu participant, sed solum ex dependentia a lege regulante, et objecto suo regulato, moralitatem autem quam habent ex ordine ad finem, participant ab ipso priori actu intentionis qui versatur erga finem, et exinde derivatur bonitas ad actus imperatos. Et in hac bonitate participata a fine, eadem censetur moraliter bonitas actus interni, et externi, imperantis, et imperati; propria tamen bonitas actus imperati, id est, illa quam habet a suo objecto, distincta est ab ea quam habet a fine, et ab actu imperante; et de hoc agit quæstione XX.

Explicata ratione moralitatis, tam in actibus interioribus, quam exterioribus, agit de proprietatibus moralitatis, quæ sunt tres, scilicet, rectitudo, et peccatum, laudabile, et vituperabile, meritum, et demeritum, de quibus agit quæstione XXI.

Postquam explicavit D. Thomas actus humanos qui pertinent ad intellectum, et voluntatem, ideoque per se, et proprie sunt actus humani, agit deinceps de actibus qui par-

ticipative sunt humani, pertinentque ad appetitum sensitivum qui est communis hominibus, et brutis, in homine tamen est gubernabilis a ratione, et vocantur isti actus passionis, quia cum quadam transmutatione corporali sint in appetitu. De his ergo passionibus duo more solito considerat D. Thomas. Primo agit de illis in communi, secundo in speciali. In communi considerat quatuor. Primo, quidditatem passionis in communi. Secundo, divisionem passionum. Tertio, moralitatem in bonitate, et malitia. Quarto, ordinem passionum inter se.

Quantum ad primum, considerat D. Thomas, quomodo animæ conveniat habere passiones, non solum passione communiter dicta qualis etiam invenitur in potentiis spiritualibus, sed etiam propria id est, cum transmutatione corporali, sicut in sensitivis et in appetitu, et de hoc agit quæstione xxii.

Quantum ad secundum, sumitur distinctio passionum ex triplici principio. Primo, ex parte diversæ potentiæ. Secundo, ex parte diversi objecti secundum contrarietatem. Tertio, ex distincto modo, et applicatione objecti, ut penes absens, et præsens. Juxta primum modum differunt, quasi in genere passiones irascibilis, et concupiscibilis, ut ira et amor, spes, et gaudium. Juxta secundum modum distinguuntur passiones etiam in eadem potentia ex parte diversi objecti non contrarii, ut timor et audacia, amor et odium, gaudium et tristitia. Denique, juxta tertium modum distinguuntur passiones ex distincta apprehensione quam objectum vestitur, et applicatur, et movet ut timor versatur circa malum absens, tristitia circa præsens, desiderium circa rem futuram, fruitio circa præsentem, quia ex hac diversa applicatione, et ap-

prehensione consurgunt diversa motiva in objecto, et de hoc agit quæstione xxiii, colligitque in unum esse undecim passiones, sex concupiscibilis scilicet amor et odium, quæ respiciunt bonum, et malum absolute, desiderium et fuga, quæ respiciunt bonum et malum absens, delectatio et tristitia, quæ respiciunt bonum et malum præsens. Quinque autem sunt in irascibili, scilicet spes et desperatio circa bonum possibile vel impossibile, timor et audacia circa malum vincendum, vel non vincendum, ita circa malum præsens et imminens.

Quantum ad tertium, scilicet de bonitate et malitia passionum agit quæstione xxiv. Participant enim passiones bonum, et malum morale secundum quod diriguntur a ratione, eo quod appetitus sensitivus subest imperio rationis, et ita regulationem ab illa participant.

Quoad quartum, scilicet de ordine passionum inter se considerat Divus Thomas dupliciter posse ordinari, id est, quo una fit prior altera. Uno modo ex parte potentiarum, sicut concupiscibilis præcedit irascibilem absolute loquendo, prius enim movetur homo in bonum absolute quam in bonum ut arduum; alio modo sumitur ordo passionum intra eandem potentiam quatenus passiones circa bonum præcedunt passiones circa malum, sicut in concupiscibili amor præcedit odium, et in irascibili spes præcedit timorem, timor audaciam, prius enim sperat quis victoriam quam audeat contra malum et de hoc agit quæstione xxv.

Expedita consideratione passionum in communi agit de illis in speciali. Et primo, de his quæ pertinent ad concupiscibilem. Secundo, de his quæ pertinent ad irascibilem. In concupiscibili prima passio est amor. De quo considerantur

tria. Primo ipsa quidditas amoris. Secundo causa ejus. Tertio effectus. De quidditate considerat quæstione xxvi, quomodo amor sit passio, quomodo differat ab amore intellectuali qui est dilectio, quomodo a charitate quæ supra communem amorem addit æstimationem rei amatæ de re chara, et denique quomodo dividatur amor in amorem concupiscentiæ, et amicitiae, et de hoc agit quæstione xxvi. De causis vero amoris agit quæstione xxvii, ostendens quomodo ex bono originetur amor, et ex ejus experientia, vel cognitione, similitudine, etc. De effectibus autem amoris agit quæstione xxviii, quos considerat causari ab amore, vel in genere causæ formalis, vel efficientis, vel finalis. In genere quidem causæ formalis facit amor effectum qui dicitur unio affectiva ad amatum. In genere causæ efficientis plura causat tam in parte apprehensiva, quam in parte appetitiva, nam in primis facit inhætionem, quæ in parte apprehensiva facit ut amans multum inhæreat in cogitando de re amata, et in parte appetitiva, ut per complacentiam multum radicetur, et inhæreat in corde. Secundo, facit extasim, si amor sit vehemens, quatenus vult ferri extra se ad fruitionem amati, et non intra se cohiberi, quod præsertim fit in amore amicitiae, nam in concupiscentia potius trahit rem ad se, quam feratur ad illam. Tertio, facit zelum quatenus ex amore movetur quis ad repellendum omne impedimentum, vel consortium in amato. Denique, facit liquefactionem removendo duritiam, quæ impedit ne amatum intret in cor, et fruitionem quando amatum est præsens, et languorem, seu tristitiam quando omnia causat amor effective, in genere vero causæ finalis causat omnia media, seu res quæ ratione finis amati appetuntur.

Quia vero contrariorum eadem est ratio agit de odio, quod est contrarium amori, quæstione xxix.

Secunda passio concupiscibilis est desiderium, de quo, et ejus opposito agit, quæstione xxx.

Tertia passio concupiscibilis est delectatio seu gaudium, et ejus oppositum scilicet tristitia. De delectatione considerat quatuor. Primo, ejus naturam quæstione xxxi. Secundo, causas ex quibus generatur delectatio, aut quibus disponimur ad illam, quæstione xxxii. Tertio, effectus ejus, ut quod dilatet cor, quod causet sui sitim, aut desiderium et similia, quæstione xxxiii. Quarto, bonitatem vel malitiam moralem delectationis, et quomodo possit esse regula moralium, quatenus se habet, ut quies et ultimum, quod desideratur in fine, et de hoc quæstione xxxiv. Simili modo agit de opposita passione, quæ est tristitia seu dolor. In qua primo considerat ejus naturam, et species in quas dividitur, quæstione xxxv. Secundo, inquirat ejus causas ex quibus causatur dolor, quæstione xxxvi. Tertio, agit de effectibus doloris quæstione xxxvii. Quarto, de remediis quibus mitigari potest quæstione xxxviii. Quinto, de bonitate, et malitia morali tristitiæ, nam tristitia etiam potest induere rationem boni honesti, aut utilis, ut videmus in pœnitentia, de quo quæstione xxxix.

Post passiones concupiscibilis agit in particulari de passionibus irascibilis. Et primo, agit de spe, et desperatione, et hujus essentiam, causas et effectus simulque oppositam desperationem unica quæstione complectitur, id est, xl.

Secundo, agit de timore in quo sicut in aliis passionibus quatuor considerat. Primo, naturam ejus, et species in quas dividitur, quæstione xli. Secundo, agit de objecto timoris, quod est malum arduum futu-